





*1786,31.912*  
*8-15*  
BELLVM  
TRICENNALE  
MVTATIONIBVS IVRIS PVBLICI  
FOECVNDVM  
DISSERTATIO PRIOR

---

Q V A M  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

D. XXVII. SEPT. MDCCCLXXXVI

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

M. GODOFR. LVDOVICVS WINCKLER

I. V. B.

ASSVMTO SOCIO

JERIDIER. AVGVSTO FERDINANDO  
LINDEMANN

DRESDENSI

---

LIPSIAE

EX OFFICINA SAALBACHIA

B E L I V  
E T A C H N A F  
M U N I C H I A M A R I A P A R T I C I  
D I S C U S S I O N I S T I C O M  
C I S S E R T A T I O N I F F I O R

G A V K  
V I N C E N T I A P I L O G O P H O R I A M O R D I N I S  
A M O R T I T I A  
D I S C U S S I O N I S T I C O M  
H I L O C  
W E C C O D O L L I A D D O V I C A Z M I N C F I R  
T I C A  
A M O R T I T I A  
D I S C U S S I O N I S T I C O M  
K I C A  
B R E S T I N A

F I L E S T A T I  
E X O M I C I O N I A C A A S C H I A

---

§. I.

*Prooemium.*

Certum indubitatumque est, ex rerum antiquitus gestarum monumentis, eo vberiores fructus, tum ad omne litterarum genus, tum in primis ad cognoscendam Imperii Germanici formam ac regimen hodiernum redundare, quo maiori studio tenebras, quibus inuolutum est illud aeuum, dissipandi occupamur. Eam rem praeter PÜTTERVM<sup>a</sup>), GUNDLINGIVS, HAHNIVS atque HOFFMANNVS intellexere, quorum illi historiam iuris publici Conradi III.<sup>b</sup> et Friderici<sup>c</sup>, hic vero egregiam dissertationem de iure publico, quale temporibus magni, ut vulgo vocant, interregni exstitit<sup>d</sup>), scripserunt. Quidni igitur etiam operaे pretium sit, formam Germaniae publicam, qualis per bellum tricennale esset, contemplari, quod non solum ad cognoscendum Germaniae regimen hodiernum, sed ad nexum quoque diuersorum in eadem sacrorum definiendum quam maxime conferat? Cui quidem operi quamquam me eo minus sufficere sentiam, quo maiore fama et autoritate pollent nomina virorum illorum, quorum exempla supra a me laudata

mihi

a) Litteratura iur. publ. Tom. I. fauro rer. Sueuicarum Tom. II. pag. 268.  
p. 29. seq.

c) WEGELIN. l.c. p. 303.

b) Reperitur in WEGELINI The- d) ibid. p. 391.

A

mihi praeluxerunt: ac quo propius huic aevo accedit opus illud praestantissimum Ill. HAEBERLINI <sup>e)</sup>), quod quidem ad ea tempora nondum perductum optima quaeque exspectare nos iubet; veniam nihilominus impetrabit a viris historiarum peritis adolescentia iuuensis, qui in aggrediendo eiusmodi opere eam in primis ante oculos habuit rationem, ut collectis virorum doctorum super qualicunque hoc eruditio[n]is specimen suffragiis, clarior his temporibus lux affundatur, et ipse per eorum sermones doctior factus vberima in ediscenda iuris publici prudentia capere possit incrementa. Contemplatur vero statum Germaniae, qualis ab initio belli tricennialis e turbis Bohemicis deriuando, vsque ad quietem Imperio pace Westphalica redditam obtinuit, tantum abeſt, ut velimus magno apparatu indagare, qualis fuerit forma Imperii externa, quales eius limites Geographici, quaenam foedera reipublicae Germanicae cum viciniis fuerint inita, aut denique quanam fortuna bellum gestum sit, (quippe quae omnia iam dudum ab aliis sunt tradita) ut potius internam reipubl. conditionem et formam Imperii publicam, item vincula, quibus Imperator et Ordines intuitu regendarum ciuitatum iungerentur, quatenus recens nata aut legibus mutata vel saltim confirmata fuerint, habitum denique utriusque religionis animus sit illustrare. Ante oculos itaque habebimus semper leges turbata illa aetate ab Imperio latas, et sequentur

e) FRANZ. DOM. HAEBERLIN bis auf unsre Zeiten, I - 19ter Tb.  
neueste deutsche Reichsgeschichte vom 1786, 8.  
Anfang des Schmalkaldischen Kriegs

quemur Instrumentum pacis, tanquam normam atque exactissimam regulam, ad quam omne institutum componetur. Constat enim esse illo cautum <sup>f)</sup>, „ne posthac in statu politico controversiae oriatur“, finemque eius fuisse non solum stabiliendi atque confirmandi leges priores, sed etiam restituendi tranquillitatem Imperii et controversias inter Caesarem atque Ordines componendi <sup>g)</sup>. Qua quidem regula diligentius considerata atque cum priorum temporum statu et insequenti aeuo comparata, institui, ius publicum huius aetatis pro virium imbecillitate illustrare, cuius studium tunc nimis neglectum iacuisse dolemus. Perpauci enim fuere, qui per priores quindecim belli annos viꝫ mediocrem, ne dicam accuratiorem eius cognitionem sibi comparauerunt, id quod iam SPENERVS et TITIVS, Viri fama et existimatione qua pollut dignissimi, viderunt, quorum ille <sup>h)</sup> affirmat, neminem omnino, qui ea aetate iuri publico operam daret, solidam eius atque erroribus vacuam notitiam sibi comparasse, ac, quae in eorum scriptis reperiamus bona, tantis vitiis obscurari, ut operaे pretium vix sit ea separare. TITII <sup>i)</sup> vero iudicium ita legimus: „Quosdam illius aetatis scriptores iudicium hic necessarium desituit, aliis necessaria admicula ac in primis solidior principiorum politicorum notitia desunt, quorundam doctrinam prae iudicia iuris Romani aut partium studia

A 2

„corrum-

- f) Instrum. Caesareo Suec. Art. VIII. §. I.  
g) Instrum. Pac. Monast. Prooem. §. 47.
- h) Deutsches ius. publ. T. I. Lib. I. cap. 3. §. 17. pag. 69.  
i) Spec. iur. publ. Lib. I. cap. I. §. 37.

## IV

*„corrumptunt, in multis denique deest usus et experientia.“* Et his quidem, quos cum SPENERO ET TITIO parui pendere haud dubitauimus, BESOLDVS, LAMPADIVS aliique, excepto tamen LIMNAEO, cuius aliqua in ius publicum illius aetatis exstant merita, annumerandi erunt, donec paullo post CONRINGIVS, PHIL. BOGISL. A CHEMNITZ, qui sub ficto nomine HIPPOLETHI A LAPIDE latet, et nihilominus partium studio corruptus, Imperatori nimis aduersabatur, eorumque discipuli nouam quasi iurisprudentiae publicae epocham aperirent, ex qua iura Imperatoris et Imperii diligentius coli coeperunt. His quidem rationibus adducti, in explicando nostro argumento ita versabimur, ut internam Imperii conditionem in duas distinguamus partes, quarum altera, ius publicum seculare (si ita vocare licet) i. e. mutua Imperatoris atque ordinum Imperii in ciuitate regunda iura, altera ecclesiasticum comprehendet, comparata prius illius aetatis historia cum prioris et posterioris aei monumentis.

## §. II.

At enim vero sicuti in omnibus rebus ordine procedendum est, ita etiam hoc in argumento, recte, ut opinor, versabor, factio ab externa Imperii forma initio, deinceps internam eius conditionem contemplaturus. Scilicet notum est, Maximilianum Imperatorem initio saec. XVI. Germaniam totam in decem circulos distribuisse, quae diuisio etiam belli tricennalis tempestate obtinuit, et quodammodo etiam bello exacto; eo tamen discriminne, ut, quoniam per pacem Osnabrugensem quaedam partes a Germania abruptae ad exterros peruenierunt,

fines

fines circulorum antea paulo latiores essent, quam post pacem.  
 Huius enim articulo X.<sup>k)</sup> Sueciae ita satisfactum esse videmus,  
 vt non solum citerioris Pomeraniae et episcopatum Bremensis  
 et Verdensis dominium et iura, sed ulterioris quoque particu-  
 la aliqua, Wismaria denique vrbs ipsi concessa atque adeo  
 ad vicinos translata fuerint, ita tamen ut praeter nexum feuda-  
 lem, quo Suecia illam tenebat, arcitor quoque inter Germa-  
 niā atque Pomeraniā coniunctio restaret, quippe quae  
 ius sessionis quoque et voti in comitiis ferendi retinebat,  
 ex quo certissime colligere possumus, has regiones isto,  
 de quo maxime agimus, aeuo a Germania indiuisas fuisse,  
 cum ad annum vsque 1637 ducibus subessent, quo-  
 rum ultimus Bogislaf XIV dicto anno obibat. Neque vero  
 omnis Italia eo tempore legibus atque superioritate Imperii  
 exempta fuit, quod multis documentis illius aeuī historia docet.  
 Nam, quanquam inferior eius pars ac ditio Pontificis, Imper-  
 ii superioritate liberata erat, tamen quaedam Italiae supe-  
 rioris ciuitates Imperio adhuc suberant<sup>l)</sup>. Et Etruriae quidem  
 cum Germania nexus ab antiquissimis temporibus ad XVII vs-  
 que saeculum tamē fuisse, ut omnes eius principes ab Impera-  
 tore terras suas tanquam feudum Imperii acciperent, GVNDLIN-

A 3 GIVS

k) Art. X. §. 2. 3. 6. 7.

l) Affirmant quidem LIMNAEVS Imperio subiectas fuisse, argumenta  
 in iure publ. Imp. R. G. T. I. Lib. I. tamen eorum satis friuola vberius iam  
 c. 9. et CONRINGIUS de finib. Imp. refutauit STRVVIVS in Syntagm.  
 c. 20. et 21. p. m. 293. sq. terras Pon. Jur. Publ. cap. 2. §. 4.

CIVS satis superque docuit, id quod etiam in ducatu Mantuae et Montisferrati obtinuisse legimus. Quum enim Vincentius II. Mantuae princeps anno 1629. sine prole mascula vita deceperet, maritumque filiae ex fratre susceptae successorem constituisset, res ea vehementi contentione inter hunc atque Caesarem, Guastallae ducem occasionem dedit, quem Imperator in mortis euentum infestauerat. Huius itaque litis componendae causa Ferdinandus Imperator non modo Mandatarium Mantuam misit, qui Imperii iura atque negotia ibi gereret, sed exercitum quoque illuc ire teste BARRO<sup>m</sup>) eo consilio iussit, ut Imperii iura tueretur. Quis igitur est, qui non intelligat, dominium directum aequum ac superioritatem in has regiones Imperio competuisse, cum praesertim constet, Carolum ducem ab Imp. Ferdinando in casum denegatae iustitiae ad Electores prouocasse et vltro sententiae ab Imperii iudiciis latae se subiecisse. Quo minus vero etiam affirmari poterit, liberas ciuitates in Italia superiori sitas cum Imperio coniunctas fuisse, eo magis sententia nostra inde firmabitur, quod finito etiam bello nexus feudalis inter Italiam superiorem atque Imperium remanserit, cum in diplomate aliquo Caroli VI. Imp. 46. feudorum<sup>n</sup>) Imperialium in Italia sitorum mentio fiat, et dux adeo Allobrogum paullo post pacem initam Vicariatum mortuo Imperatore Ferdinando in Italia gesserit, Heluetia autem iam saec. XVI. in libertatem fese assuererat, et quamvis pace demum Ospalbrugensi

<sup>m</sup>) Allgem. Geschichte von Deutschland Tom. VII. p. 561.

<sup>n</sup>) IO. TAC. MOSERS Wahlkapitulation Carl VII. T. I. p. 210.

brugenſi Imperator atque Ordines Heluetiis plena libertatis iura concederent, eosque omni vinculo solutos declararent, tamen iam anteā suis iuribus gauſi et Imperii superioritate exempti erant. Atque hoc eo minus negari potest, quo certius et ex legatione bello ipſo adhuc flagrante ab illis ad cameram Imperialem missa, cui subefſe amplius negabant, et ex ipſis Instrumenti verbis confirmatur et declaratur.

Et haec quidem de finibus Imperii circa meridiem et septentrionem constitutis ſufficiant. Ad orientem occidentemque animum iam vertamus. Et de Bohemia quidem haud leuis inter viros doctos controuersia exſtitit, quum alii Germanorum Imperio annumerare eam omnino dubitent, alii vero ſententiam his plane contrariam ſequantur, aut ſaltim iusto arctiora vincula inter Germaniam atque Bohemiam conſtituant, in quem errorem præcipue GOLDASTVS<sup>9)</sup> incidiſſe videtur, quippe qui regnum illud circulis, in quoſ Imperium diſpēſcitur, adſcriptum fuifſe, contra rerum geſtarum historiam affirmauit, eleganter tamē ſingulari diſſertatione a HERTIO<sup>10)</sup> refutatur, in qua luculentē oſtenditur, praeter nexum feudalem, quo Germaniae adſtrīngebatur, aliis quibusdam praeterea vinculis cum Imperio cohaeſiſſe: nimirum ab anno inde 1459 elecſiōni Imperatoris affuiſſe,

o) In ſingulari, quem conſcripſit SCHMINCKVS ib. 1719. II. Tom. libello, de Bohemiæ regni, incorpo- ratarumq; prouinciarum iuribus et priuilegiis nec non de haereditaria regiae Bohemorum familiae ſuccelſio- ne, Frf. 1627. 4. quem poſtea edidit.

p) In diſſ. de renouo inter regnum Bohemiae atque S. R. I. nexus, in eius opusculis rarioſ. ex edit. Hombergk. Volum. II. T. I. p. 317. f.

affuisse, et reuidendae Capitulationis partes aliquas a Matthiae inde temporibus, et Archiofficii munus sustinuisse <sup>q)</sup>). Quanquam enim negari nequit, regnum Bohemiae neque diuisione illa, cuius vi Imperium in circulos a Maximiliano I. diuisum est, comprehensum neque ad condendas Capitulationes Imperatorias admissum fuisse, eiusque regem neque Elektorum convenibus interfuisse neque ad sustentanda Imperii onera quidquam contulisse, ipsa tamen verba Ferdinandi II. Imp. vnicuique facile persuadebunt, Bohemiam eo, de quo agimus, aevo arctius cum Imperio copulatam fuisse, quippe quae in expositione iurium Ferdinando II. in regnum Bohemiae competentium ita se habent: <sup>r)</sup> Dass aber die Könige zu Böheimb auf Kaiserliche Reichstäge nicht allemal und zu allen Zeiten beschrieben worden, ist die Ursach, dass vor undenklichen vielen Jahren, die Könige zu Böheimb auch römische Kaiser gewesen sein, und durch ein sonderbar Privilegium, das sie haben, zu erscheinen nicht genöthigt sind, so sind sie doch nicht weniger Churfürsten des Reichs als auch die andern. So geben sie auch keine Reichs Anlagen und Stewern, sind durch ein sonderbar Privilegium davon entledigt, — und folget hieraus nicht, dass sie dem Reich nicht unterworfen seyen. etc. etc.

Neque vero minus Alsatia, Brisacum, Sundgouia atque tres illi episcopatus Metensis, Tullensis et Verdensis bello tricennali accenserii Imperio poterant, quanquam celeberrima

illa

q) HERTIVS l. c. p. 334.

r) LONDORP. Act. publ. Tom. I.  
p. 357 et 364.

illa pace<sup>3)</sup> cum omni iurisdictione atque superioritate Galliarum regi cessa atque tradita sunt. Et trium quidem illarum urbium dominium iam dudum appetierant Galli, quippe quas iam anno 1552 occupatas, in comitiis ineundae pacis causa habitis a multo inde tempore ad Galliae regnum pertinuisse, haud dubitarent assertere<sup>4)</sup>. Reliquae autem regiones ab Imperio adeo sunt auulsae abruptaeque, ut omni omnino vinculo, quod hucusque inter vtrumque obtinuerat, soluto, plenum ius atque dominium in eas ad Gallos transiret, qui ne illis quidem iuribus, quae Sueciae regibus ratione Imperii concessa erant<sup>5)</sup>, gaudere poterant. His ita expositis, nemo erit, quin statim intelligat, Imperii fines belli ipsius tempore latiores, Westphalica autem pace, in qua quippe tot ac tantae terrae ab eo auulsae atque seiuinctae sunt, admodum restrictos fuisse atque coarctatos.

### §. III.

Quum itaque de limitibus atque externa forma Imperii satis expositum esse credam, iam ad contemplanda ea, quae per pacem illam quoad internam Reipublicae constitutionem mutata sunt, progredi fas est. Atque hoc quidem primum aucta legum

s) Instrum. Caef. Gall. §. 70-76. sitarum in immediatum Imp. statum

t) PFANNER. histor. pac. Westphal. Lib. III. §. 18. p. m. 273. cooptauit Imperator; eique sessionem et votum in comitiis vniuersalibus et

v) Instrum. pac. Osnabrug. Art. X. §. 7-9. 10-12. scilicet regnum Sueciae ratione diuisionum Imperii, pace acqui-

legum fundamentalium copia referenda videtur. Nimirum cum ante belli tricennalis tempora Aurea Bulla Caroli IV. pax publica ac religiosa, et Capitulationes, recessus denique Imperii, et omnes eae leges, quae vnanimi statuum Imperii consensu latae fuerant, normam reipublicae administrandae constituerent, noua eaque grauissima lex anno 1648. ipsis omnibus accessit, quae non solum controversias inter Imperatorem et Ordines, statumque inter se met ipsos componendi modum praescripsit, legesque Imperii priores confirmauit, verum etiam plura noua sanciuit, ita ut profecto mutata inde existaret Imperii forma, quantumvis editor ille Hippoliti a Lapide eos obiurget, qui Imperii conditionem pace Osnabrugensi mutatam contendant<sup>w)</sup>.

Instrumenta autem pacis iure meritoque legibus Imperii fundamentalibus adscribi, iam ex illorum natura atque indole colligitur, quum vnanimi Imperatoris et Ordinum consensu confecta sint, id quod et verba prooemii, quod recessum Imperii de anno 1654. antecedit, aperte docent. Etenim, quamvis Imperator solum principes Electores ad pacis formulam in comitiis praescribendam admittere vellet, tamen Galliae atque Sueciae legati cum omnibus ac singulis Imperii Ordinibus, quotquot apparere vellent, nemine excepto, pacem in eundam

w) Anonymus ille editor Hippoliti a Lapide in vernacula versi, in est a MOSERO, in libello *von* notis Part. I. pag. 79. acute et contumeliose in illos inuehit, qui formam *Deutschland und dessen Staatsverfassung*. Cap. XXI. §. 12. Imperii pace Osnabrugensi mutatam

eundam esse, eam ob causam declararunt, vt vniuersum Imperium pacificationi assentiret. Alteram deinde causam, cur legibus Imperii iure iungatur, ipsum pacis instrumentum praebet, cuius art. XVII. §. 2. expressis verbis cautum est, „vt in maiorum rem paclorum, quae ibi reperiuntur, firmitatem atque securitatem haec transactio aequa ac aliae leges et constitutiones fundamentales Imperii perpetua lex et pragmática Imperii sanctio existat, cuilibet, siue status Imperii sit, siue non, tanquam regula, quam perpetuo sequatur, præscripta.“ Et eandem etiam ob causam, vt constitutionibus, quibus tanquam basi ac fundamento Germaniae ciuitas nitatur, adnumerari posset, Instrumentum in comitiis Ratisbonae anno 1654. habitis, pro lege fundamentali declaratum, et de verbo ad verbum recessui Imperii comitia inscuto insertum est, ita vt, quin pax illa inter leges Imperii locum obtineat, dubium profecto non relinquatur: idque eo minus, quo maiori vel utilitate vel auctoritate in causis vel ciuilibus vel ecclesiasticis iam pridem adhibebatur, ita quidem, vt Ferdinandi IV. \*) et, qui eum sequuti sunt, Imperatorum Capitulationibus ea clausula adiicetur, iuramento confirmanda, vt sarta testaque seruet Imperator pacis instituta, non minus, quam Auream Bullam, ceterasque Imperii leges. Auctor illius clausulae Elector Brandenburgicus extitit: ille enim anno 1653. cum de capitulatione Ferdinandi IV. confiencia Electores cogitarent, primus obligandos Imperatores monuit, vt *Instrumentum pacis, Ordinatio-*

B 2

nem

\*) Capitulat. Ferd. IV. §. 2.

nem Camereae Imperialis et Executionis tanquam pragmáticas sententias et ipsi obseruarent, et ab aliis obseruari facerent. Circa ipsas tamen Capitulationes Caesareas quoque dissensio quaedam exorta est. Scilicet soli Electores negotio condendrum Capitulationum functi erant, donec Principum Imperii collegium, ad conficiendam Mattheiae Capitulationem admitti petebat, et deinde anno 1647. in comitiis pacis causa habitis aliquam iuris illius partem sibi vindicare studebant, temperandam censens nimiam Electorum, quam in ceterorum damnum atque iniuriam sibi arrogassent, potestatem. Querebatur enim praecipue Archiepiscopi Salisburgensis legatus<sup>y)</sup> se in Capitulatione Ferdinandi III. quosdam articulos reperiisse, qui suspicionem sibi mouerent atque Imperatori simul cum Electoribus, facultatem bellum decernendi et foedera ineundi, tributa indicendi, denique de eiusmodi rebus disponendi concederent, quae cum ad omnes omnino Ordines Imperii pertinebant, ideo a solis Electoribus peragi non possent, cui sententiae deinde reliqui praesertim legatus Culmbacensis adhaeserunt; et inde euenit, vt de ea re in Instrumento Osnabrugensi<sup>z)</sup> ad proxima comitia relata, anno 1653. ita transfigeretur, vt principibus quidem ea, quae circa Capitulationes monenda censerent, Electoribus indicare atque commendare liceret, his tamen liberum relinquareretur, vtrum ea admittere velint nec ne.

Ea

y) De MEIERN Acta pacis Westphal. Tom. IV. lib. 29. §. 7. pag. 504. sq.  
z) Art. VIII. §. 3. PFANNER. hist. pac. Lib. IV. §. 31. p.m. 485.

Ea vero, quae recentiori aetate negleclis ab Electoribus principum monitis de perpetua Capitulatione acta sunt, hue pertinere haud videntur, cum Germaniae solum conditionem, qualis bello tricennali obtinuit, contemplandam mihi sumserim.

#### §. IV.

Neque vero silentio hoc loco praetereunda videtur satisfactio illustri Palatinae domui facta, cuius mentio fit art. IV. Instrumenti Caesareo Suecici, per quam non parua in rem publicam illata est mutatio: Qua quidem in re fieri non poterit, quin simul quaedam de principibus Electoribus S. R. I. differamus. Nimirum constat inter omnes, sub initium belli istius funestissimi Fridericum V. Electorem Palatinum, Bohemiae regem coronatum, pugna autem infelici vietum, eque Germania fugatum esse. Quae cum ita fierent, Ferdinandus Imperator, sua sponte, nec consulta antea Electorum sententia atque auctoritate, Friderico omni iure interdixit, ipsum serenissimamque eius domum Electorali dignitate cunctisque iuribus cum ea connexis exuit, ducem vero Bauariae Maximilianum in eius locum substituit, ita quidem, ut hic non solum Electoratus dignitatem et Archiofficium Dapiferatus capesseret, sed Vicarius quoque iura ad se deuoluta arbitraretur, quoniam litteris inuestiture, unde haec perspicimus, nitebatur, quae sic se habent: *So haben wir den Herzog Maximilian von Bayern die durch den proscribiren Pfalzgraf Friedrich verwürckte Chur der Pfalz, Erztruchseßens Amt, wie auch das Vicariat, Session, Stimme und Wahl gnädigst gegeben und zugestellet, auch damit wirklich belehnet.*

*lehnet.* At cum Fridericus eiusque filius Carolus Ludouicus  
 aequo ac principes Electores, id iniuria ipsisque inuitis factum  
 conquesti, nihil totum hoc valere posse statuerent: placuit tan-  
 dem pace Osnabrugensi octauum Electoratum communi sta-  
 tuum Imperii consensu addere, eoque Carolum Ludouicum  
 Comitem Palatinum inuestire, quamvis plures ortae essent dif-  
 ficultates, inter quas lis de Vicariatu, restituenda Archidapiferi  
 dignitate et sessionis ordine plurimum negotii faceret. Et  
 mirandum profecto est, neque in Instrumento pacis, neque  
 Recesu Executionis Norimbergensi, quidquam de Vicariatu  
 definitum esse, vnde haud leuis inter Bauarum atque Palatinum  
 anno 1657. mortuo Ferdinando III. exorta lis est, quod  
 vterque Vicariorum iura exercere conabatur, aliis ciuitatibus  
 huius, alii illius edicta affigentibus. Quo quidem in dissensu  
 quamvis Elector Saxonie et plures Imperii ordines Bauaro faue-  
 rent, iudicium quoque camerae Imperialis sigillo vteretur, in  
 quo Saxonie et Bauariae insignia coniuncta extabant, et Impe-  
 rator adeo Leopoldus negotia, quae Vicariatus tempore Baua-  
 rus gesserat, deinde approbat, tamen non prius haec con-  
 trouersia sedata fuit, quam anno huius facc. 24. quo conuenit  
 inter eos hoc, vt vterque simul Vicariatum administret. Hinc  
 vero appetat, quid bello tricennali hac in re iuris fuerit, certo  
 definiri non posse, cum occasio defuerit ea iura exercendi, et  
 eaedem sine dubio contentiones ortae fuissent, quarum histo-  
 riā in annalibus anni 1657. discimus, cum Comes Palati-  
 nus Vicariatum indissolubili vinculo cum Palatinatu Rheni iam  
 ab initio facc. XIV. cohaerere contendet et se partim Instru-  
 mento

mento Osnabrugensi, partim inuestitura anno 1656. facta in omnia iura atque priuilegia Palatinatui competentia successisse affirmaret, Bauarus vero litteris inuestiturae a Ferdinandō II. sibi datis et ab Electoribus postea approbatis niteretur. At vero cum noua Electoralis dignitas Imperii auctoritate constituta confirmataque esset, altera de congruo Archiofficii munere quaestio mouebatur. Postulauit quidem recens creatus Elector antiquum Dapiferi ministerium, belli tricennalis iniuria ad Bauaricam domum translatum, sed cum hac in re Bauarus Palatino cedere nollet, de noua erat cogitandum dignitate, atque inter plures multorum opiniones obtinuit tandem communis Electorum consensu ea, quae fisci curam, vulgo Archithesaurii munus (*Erzschatzmeijler Amt*) nuncupatus, Palatino tradendam esse suasit; cui simul anno 1657. a Ferdinandō III. permisum est, ut auream Conradi I. coronam Imperatori in solenni pompa paeferret, cum ante calamitosa diuturni illius belli tempora, globulum eidem coronando paegeſtauerit <sup>a)</sup>), et facta coronatione aureas argenteasque monetas inter populum proiiceret. Denique differt quoque conditio Electoris Palatini bello finito ab ea, qualis ante eius initium et durante ipso extitit, eo quod, quo antea vi Electoratus pace Westphalica ad Bauarum translati in comitiis Imperii gauisus erat quarto voto inter omnes Electores et secundo inter saeculares, idem simul cum dignitate Electorali ad Boioarum transferretur, Palatino autem ipsi septimus isque ultimus inter Electores locus affigna-

a) THYLEMARIUS de Octouiratu. Cap. XVIII. p. 240. seq.

assignaretur<sup>b)</sup> , ita ut hunc omnibus fere emolumenis, quae cum pristina Elektorali dignitate coniuncta fuerunt, pace Osnabrugensi priuatum exutumque videamus.

## §. V.

Extra omnem vero dubitationem positum est, Imperatorem a solis Electoribus, vti omni tempore, ita etiam belli tricennalis aetate electum atque coronatum esse. Quamobrem de electione ipsa, non est, quod prolixius agam, cum nulli plane discrimini fuerit obnoxia. De ipso vero coronationis<sup>c)</sup> actu atque solennitate altercatio, quae ab antiquissimis inde temporibus inter duos istos Electores ecclesiasticos, Moguntinum et Colonensem, orta dimidium usque saeculum XVII. protracta est, eo minus silentio hic praetermittenda videtur, quo acrior ea statim bello finito erupit, quamquam paullo post inita aliqua transactione sopita est. Liceat igitur colligere, quid ab anno 1618 - 1648. de ea iuris fuerit. Etenim iam antiquioribus inde temporibus priuilegium coronandi Imperatores Archiepiscopo Coloniensi competuisse ex eo concludimus, quod non solum ante Caroli IV. aetatem munere illo functus est, et quoties Moguntinus Elector Imperatorem coronauit,

b) Idem l. c.

c) Mihi quidem non ignotum est, quod coronationem Imperatoris et darum officium comprehendit. Licet tamen generaliori voce coronatione illud profecto expositum a SPENERO in Iure publ. Tom. V. p. 19. not.b. Coronatio enim de confectione impositione dicitur, consecrationem et preum agentem comprehendit. Li-

ronae impositione dicitur, consecrationem et preum agentem comprehendit. Li-

nauera tacerrime contradixit, et Henricum II. adeo a Moguntino iam vncūm Aquisgrani denuo consecravit, verum etiam in Aurea Bulla Cap. IV. §. 4. ipse dignitatem atque officium confirmatum accepit, cuius vi prius Romanorum regi diadema regium imponendi potestatem obtinuit. Et ab eo inde tempore Colonensis Archiepiscopus vsque ad Ferdinandi I. aetate libere ius suum exercuit: quod praesertim Ruperti Imperatoris priuilegio firmatum est, a quo ipsi simul Imperatorem non modo Aquisgrani, verum etiam in quoconque dioeceseos loco consecrare permisum fuit<sup>d)</sup>. At vero in sequenti tempore Moguntinus Elector eam potestatem sibi arrogare studuit et Maximilianum II. omnesque eius successores ad Ferdinandum IV. vsque, non quidem Aquisgrani, verum aliis in locis coronatos consecravit, Aureae Bullae verba solum de peragenda a Colonensi in ipsius dioecesi coronatione interpretanda esse contendens. Praecipua vero causa, cur hic ius sibi fere erexit non defenderit, in eo posita erat, quod Colonensibus Archiepiscopis ad peragendam Maximiliani II. et Rudolphi II. Matthiae atque Ferdinandorum II. et III. consecrationem pallium adhuc deerat, vnde factum est, ut Maximilianus Henricus Archiepiscopus Colonensis, qui pallium a Pontifice Maximo acceperat, anno 1653. acerrime pro iure suo Ferdinandum IV. coronandi pugnaret, idque protestando sibi seruare studeret, quia Imperator Ferdinandus III. in fauorem Moguntini, saluo tamen utriusque iure, de filii consecratione deciderat. Nihilominus paullo post haecce

d) SPENER. l. c.

## XVIII

haecce controvuersia inter vtrumque Electorem singulari transactione de anno 1657. ita composita est, vt a quolibet in dioecesi sua coronatio Imperatoris fiat, extra illam vero alternis vicibus ius illud ab alterutro exerceatur, initio tamen a Coloniensi facto; quam ob rem Leopoldum Imperatorem anno 1658. a Coloniensi coronatum reperimus, quamvis solennitas Francofurti, ideoque in oppido Moguntinae dioecesi subiecto celebraretur. Atque ea transactio posthac Capitulationibus Leopoldi, Iosephi I. et Caroli VI. inserta vim legalem accepit. Hinc vero colligere possumus, belli saepius iam dicti tempestate illud priuilegium Coloniensi denegari haud potuisse, cum omni tempore Moguntino in ipsus praeiudicium consecranti contradicendo ius suum vindicauerit, in illius vero fauorem nihil afferri potuerit, nisi, quod primum inter Germaniae episcopos locum obtineret.

## §. VI.

Cum §. 3. de dignitate Electorali a Palatino ex arbitrio Ferdinandi in Bauarum collata locutus fuerim, non a loco et consilio alienum facere me putauerim, de iuribus Caesaris reseruatis aequae ac illis, quibus coniunctim cum Electoribus gaudet, aliquid addere, cum in iis maxima iuris publici nostri pars veretur. Iam vero Imperatorem eo tempore magnam sibi potestatem arrogasse constat. Etenim grauis quidem ac funesta fuit iam per se omnibus ac singulis belli tricennalis calamitas, multo maiorem tamen cladem reipublicae Germanicae minabatur ea, quam Imperator Ferdinandus II. sibi arrogabat, in im-

perio

perio pro libitu agendi licentia. Huius enim tot tantaque specimina edidit, ut legibus se solutum, spernendas Capitulatio-nes, et omnia Electorum aequa ac reliquorum Imperii ordinum iura atque priuilegia vilipendenda esse statuere videretur, si modo hoc ad augendam Imperatorum potentiam minuendamque Ordinum Imperii auctoritatem quidquam conferret, in quo omnes fere istius aeu scriptores consentiunt. Proscriptio qui-dem Friderici V. Electoris Palatini, a Ferdinando non consulto antea camerae Imperialis iudicio suscepta, triste huius rei exem-plum praebet, quamvis expressis verbis in capitulationis articulo XXVI. se neque Electorem neque alium principem incog-nita causa, sed ventilato demum processu, qualis in Ordinatione camerali de anno 1555. constitutus esset, ideoque consensu Im-perii adhibito proscribere velle iuratus promiserit. Referen-dum huc etiam est celeberrimum illud edictum anno 1629. promulgatum, quo Euangelici omnibus bonis ecclesiasticis me-diatis aequa ac immediatis post transactionem Passauensem Ro-manae ecclesiae assecclis eruptis decadere iussit, Catholicis vero subditos suos, qui Euangelica sacra sequerentur, nisi ad priora sacra reuerti malent, e terris fugandi bonisque priuandi pote-statem concessit. Neque minori iniuria Friderico Electoralis dignitas ademta et Maximiliano Bauariae duci concessa est, qua de re multisarias querelas in comitiis Electoralibus anno 1623. habitis ab Ordinibus religioni Euangelicae addictis motas esse constat. Quamuis enim Pontificiae fidei asseciae, Imperatoris potestatem metuentes nimioque parium studio abrepti, ipsum ob proscriptionem Friderici, proprio motu susceptam lauda-rent,

rent, ipsique ius atque potestatem pro lubitu de Electoris Palatini terris atque officiis disponendi tribuerent, Euangelici timen, licet merito istum proscribendum fuisse concederint, tamen ipsius actus formulam improbarunt, cum secundum expressa Capitulationis Caesareae verba consensus Electorum ad dignitates maiores Ordinibus Imperii conferendas requiratur, praecipue cum agnati Electoris Palatini aedescent, quibus dignitas electoralis conferenda fuisset<sup>e</sup>). Deinde idem Brandenburgi atque Saxoniae legati conquesti in conuentu Ratisbonensi palam declararunt, poenam Friderico V. consensu Ordinum Imperii saltem Electorum infligendam, dignitatemque electoralem nonniſi adhibito eoruadēm consilio ad gentem Bauariae transferendam fuisse<sup>f</sup>). Denique liceat addere exemplum arrogantiae Ferdinandi II. Imperatoris in eo quidem conspicuae, quod sponte Electores et quosdam principes, qui a partibus eius steterant, anno 1630. Ratisbonam conuocabat, res profecto ad illud aeuum inaudita, cuius exemplum in historiae monumentis nullum adhuc exstitit, quare profecto miror, cur STRVVIUS<sup>g</sup>) cuius merita in ius publicum satis cognita sunt, hocce Imperatoris facto inductus falso conuentus Electorales in eos, qui vel Moguntino auctore vel Imperatoris auctoritate conuenerint, distribuerit. Etenim Electores quidem

a Caroli

e) PERE BARRE *allgemeine Geschichte von Deutschland*, Tom. VI. pag. 517.

f) KHEVENHÜLLER in *Annales Ferdinandei* Tom. XI. p. 1039.

g) In prudentia iuris publici cap. XXII. §. 45. pag. 569.

a Caroli IV. inde temporibus saepius conuenire et de rebus ad Imperium pertinentibus deliberare solebant, quae ipsorum facultas capitulationibus Caesareis<sup>5)</sup> ita concessa atque confirmata erat, ut inscio vel inuito adeo Imperatore conuenire liceret, ipsi tamen nunquam facultatem Electores conuocandi concesserant. Constat potius hanc potestatem semper Moguntino tanquam primo inter ipsos competuisse, ut vel ad Imperatorem vel ad regem Romanum eligendum vel ad alia negotia tractanda reliquos Electores inuitaret.

Iam ex his quae haेआtenus tractata sunt, satis superque apparet, quot quantisque modis iura et priuilegia Ordinum Imperialium diminuere studuerit Ferdinandus, cui quidem licentiae jurata Capitulatione frena iam quasi iniecta erant. Sed quoniam haec a Ferdinando II. spreta negligebatur, arctius Caesareae potestatis limites erant contrahendi, ita ut ipse Ferdinandus III. in instructione legatis Monasterium missa d. d. 10. Ian. 1646. solam fere iurisdictionem, qua iudicium Imperatoris aulicum vtitur, de summo imperio sibi restare conqueritus sit, vbi ita deinde pergit<sup>6)</sup>. Cum sint quatuor praecipuae partes summi imperii, ius legis ferendae, pacis et belli, magistratum conferendorum et denique iudiciorum, tria priora Imperatori sensim sensimque admota sunt, et fere nihil circa ista omnia statibus vel sal-

C 3

tim

5) Capitulatio Caroli V. art. 5. i) IO. IAC. MOSER *deutsches*  
Ferdinandi I. art. 4. Maximiliani II. *Staatsrecht*. Tom. III. Lib. II. cap. 17.  
art. 3. Rudolfi II. art. 4. Matthiae §. 6. pag. 195.  
art. 4. Ferdinandi II. art. 4. III. art. 5.

*tim Electoribus inseatis vel dissentientibus disponere licet, quantum solummodo, ratione iudiciorum omniumque earum rerum, quae conservationem pacis publicae et iustitiae administrationem concerunt, Imperatoribus conseruatum est. Similatque enim Capitulatio aliqua condebatur, nouis sane additamentis caesarea potestas, praecipue tum, cum eligeretur Imperator, limitata est, quod in creando rege Romanorum cauebant Cæsares, ne iusto plura capitulationibus infererentur.*

Iam liceat, cum ipse Imperator primo loco potestatis legislatoriae ad Imperii summam pertinentis, sibi autem ereptae mentionem fecerit, de ea quaedam monere. Notum est iam antiquiori aetate Ordines in legibus imperii publicis ferendis votum decisiuū sibi vindicasse, quia partim indeoles legum id suadebat, quippe quae transactionem inter Ordines atque Imperatorem constituebant, ideoque mutuo vtriusque consensu ferri atque tolli debebant, partim vero Imperatores hanc potestatem ipsis haud denegauerant, donec Capitulatione Carolus V.<sup>k)</sup> expresse obligabatur, ne sine statuum consensu aut leges antiquiores mutaret, aut nouas constituaret, quod deinde sequentium Imperatorum Capitulationibus et pace Westphalica<sup>l)</sup> confirmatum est.

Neque tamen ipse Ferdinandus, quantumuis statuum privilegia violare auderet, legum ferendarum ius atque potestatem

<sup>k)</sup> Art. 2.

<sup>l)</sup> Instrum. Pac. Osnabr. Art. VIII.

§. 2.

sibi arrogauit, veritus haud dubie ne Romanae ecclesiae asse-  
clas, qui a partibus eius stabant, irritaret, quare anno 1629.  
tum legatis circuli Franconici, notum sibi esse, dixit, nouas  
leges, si quae conderentur, ex obseruantia Imperii in comitiis  
vniuersalibus esse ferendas, tum vero etiam Electori Saxo-  
niae, qui eodem anno religionis negotium ad comitia Im-  
perii deferendum vrgebat, femet ipsum leges, quae vniuerso  
Imperio normam praescriberent, sine omnium statuum consensu  
et auctoritate ferre non posse declarauit, illud autem religionis  
negotium non ad legislatoriam potestatem, sed ad iustitiae admi-  
nistrationem pertinere"), vnde manifeſte cognoscere possumus,  
leges ferendi et mutandi potestatem ab vniuerso Ordinum con-  
ſenſu dependisse, præſertim cum videamus, in constitutione  
Electoratus octauii, magnum quidem impedimentum ab Aurea  
Bulla fuisse obiectum, in qua septem tantummodo Electores  
confirmantur, nihilominus tamen vnicum illud belli finiendi  
remedium acceptum esse, quia ob conditionem Germaniae at-  
que ad restituendam eius salutem, Auream Bullam non eo esse  
valore suffragabuntur, quin communi Imperatoris et Imperii  
auctoritate in Reipublicae commodum emendari atque mutari  
possit; ut taceam querelas ab Ordine equeſtri, cuius ſententiam  
reliqui non rogauerant, Osnabrugae anno 1647. motas, qui  
non aduersabatur quidem institutæ dignitati, cum potius eidem,  
ceterorum conſenſu iam interpoſito, annueret, veruntamen  
impe-

m) Conf. HIPPOLITHVS A LAPIDE de ratione status. Part. I. cap. 6.  
p.m. 80. 81.

impertrare a se non potuit, quin moneret, non modo ob observantiae consuetudinem, verum etiam ob Aureae Bullae auctoritatem requiri, ut nobilitas immediata res, libertatem atque privilegia eius spectantes, ratis habeat, quippe cum Princeps eligendus ipsis non minus quam ceterorum Ordinum personam sustineat <sup>4)</sup>). Ex quo satis superque apparebit, fieri non potuisse, quin tam supremorum quam infimorum Ordinum consensu ad nouas leges condendas, mutandasue antiquiores belli tricennalis aequae ac recentiori aetate adhibitus sit. Cui illud praeterea accedit, quod status Ordinationes Consilii Imperatoris aulici inter leges fundamentales ponere noluerunt, quae Imperatorum auctoritate confectae essent, donec Matthias Imperator de noua conficienda cum Ordinibus communicaret. Cum autem ipse Euangelicorum monita plerumque neglexisset, noua Capitulationibus Ferdinandorum <sup>5)</sup> clausula adiecta est. Nihilominus tamen Ferdinandum III. in Ordinatione, quam anno 1654. consilio aulico praescripsit, Ordinum Euangelicorum grauaminibus haud satisfecisse, ex eo colligimus, quod, illa confecta, iudicio huic se subiictere eam ob causam detrectarunt; quia Imperator de Ordinatione constituta, cum Ordinibus haud communicaslet.

§. VII.

<sup>4)</sup> ADAM. ADAMI Relatio histor. pac. Westphal. Lib. IV. §. 65. p. 528.  
rica de Pacificatione Osnabruco - Mo- naftieriem, ex edit. de Meier. Cap. 40. III. 44.  
XXVII. §. 15. p. 514. PFANNER IV. 43.

## §. VII.

Ius bellum decernendi, pacem ineundi, atque foedera cum vicinis et exteris gentibus Imperii nomine iungendi, aequae ac legum ferendarum potestas indissolubili vinculo cum regiis iuribus coniunctum est, quae cum citra omnem dubitationem Imperatori simul cum ordinibus competant, illa ab utraque parte coniunctim expedienda esse intelligitur. Etenim ei se iam Maximilianus I. obstrinxerat<sup>p)</sup>, deinde vero singulis Capitulationibus<sup>q)</sup> Imperatores non nisi adhibito tam Electorum, quam ceterorum Imperii Ordinum assensu bellum Imperii incipere, pacem inire aut foedera iungere promiserunt. Quamquam autem iam ante belli tricennalis initium Rudolfum Imperatorem promisso haud stetisse BARRIVS aliique auctores sunt<sup>r)</sup>, quippe qui grauissima Imperii negotia ipse expedituit, nullo omnino Electorum habito respectu, siue arma contra vicinos mouenda, siue pax seu foedus ineundum fuerit: nihilominus tamen plura exstant documenta, quae Ferdinandum III. Ordinum consensum ad bella suscipienda petuisse docent, quorum illud solum laudemus, quod in comitiis Ratisbonensi- bus de anno 1641. bellum vna cum sociis aduersus Galliae et Sueciae reges gestum, eius rogatu bellum Imperii declararetur,

nisi

p) Handhabung des Friedens zu art. 6. et 11. Ferdinandi II. 6. et 9.  
Worms. d. a. 1495. tit. V.

III. 7. et 11.

r) Pere BARRE allgemeine Ge-

schichte von Deutschland. Tom. VII.

q) Capitul. Caroli V. art. 7. et 11. schrifft. p. 377. CARAF. p. 47. SCHA-  
Ferd. I. art. 6. et 10. Maximil. II. 4. et 7. Rudolphi II. 6. et 10. Matthiae DAEVS Tom. III. Lib. 35. p. 1629.

nisi eo tempore fortasse alia causa fuerit, quae Imperatorem ad voluntatem ordinum sibi conciliandam compelleret. Videtur enim argenti penuria laboraste Ferdinandus, quia constat iisdem comitiis Ordines pecuniae summam ad bellum continuandum, alendum soluendumque exercitum Imperatori decreuisse. Praeterea ex litteris legatorum Gallicorum ad Principes Imperii scriptis apparet, statuum consensum ad eiusmodi grauiora negotia gerenda necessarium fuisse; in iis enim Principes monentur <sup>3)</sup> veterem liberatem restituere et potestatem bella gerendi, pacem et foedera iungendi antiquitus concessam seruare. Denique luculentissimum iuris illius exemplum ipsius pacis Westphalicae comitia praebent, ad quae cum Imperator neque Electores, neque ceteros principes ac ciuitates admittere vellet, tamen primum Electoribus, deinde vero etiam principibus Imperii, exposito prius illorum iure, de pace ineunda deliberandi copiam facere coactus est. Declarabant enim principes, foederum cum exterris pangendorum potestatem, confuetudine legumque auctoritate iis limitibus coerceri, ut nihil ratum sit, quam quod Imperator atque Ordines probauerint, quare factum est, ut illa belli atque foederum pro lubitu ineundorum potestas, Imperatori iam Capitulationibus denegata, Instrumento Osnabrugensi <sup>4)</sup> his verbis denuo limitata, Ordinibus autem concessa et confirmata legatur: *Gaudent omnes et singuli Electores, Principes et status Imperii sine contradictione iure suffragii in omnibus deliberationibus*

<sup>3)</sup> PUFFENDORF in rebus Suecicis Lib. XV. §. 37.

<sup>4)</sup> Art. VIII. §. 2.

nibus super negotiis Imperii, p̄aefertim ubi leges ferenda, vel interpre-  
tandae, bellum decernendum, nec non ubi pax aut foedera fa-  
cienda, aliaeve eiusmodi negotia peragenda fuerint, nihil horum aut  
quidquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, nisi de comitiali  
liberoque omnium Imperii flatuum suffragio et consensu.

At illa sanctio solum de iis negotiis, quae vniuersum Im-  
perium tangunt, intelligenda est; in iis enim rebus, quae singu-  
lorum iura concernunt, tria ista, de quibus haec tenus locutus  
sum, iura Imperatoribus ac Ordinibus haud facile denegari po-  
terunt, quippe quae cum superioritate territoriali connexa a  
statibus Imperii, qui ea gaudent, huius vi exercentur. Ita  
enim extant foedera bello vniuersali constituta, quae non so-  
lum Ferdinandi cum Ordinibus quibusdam, verum etiam statu-  
s Imperii cum exteris et inter se quoque ad tuenda iura sua  
atque priuilegia inierunt: et nemini profecto ignotum est foe-  
dus illud, quod a Catholicae fidei asseclis initum, sub nomi-  
ne Ligae obtinuit, cui Protestantes Unionem ad auertenda ea,  
quae contra LVTHERI doctrinam illa moliebatur, initam oppo-  
suere. Illa anno 1619. Herbipoli congregata erat, haec  
vero eodem anno Norimbergae deliberandi causa conuenit,  
et Imperator eo comitem de HOHENZOLLERN legatum misit,  
certissimum documentum, societatem illam a Ferdinando haud  
improbata esse. Sunt etiam illae Electorum vnitates, quae saepius repe-  
titiae tandem Caesareis Capitulationibus<sup>v)</sup> confirmatae atque pri-

D 2 v) vilegia-

v) Capitul. Matthiae art. 4. Ferdinandi II. 4. III. 5.

vilegiatae sunt. Neque vero dubium est, quin arctiora illa foedera, quae cuiusuis circuli principes inire solebant, quodammodo hoc trahi possint, quae circulorum associationes per belli tricennalis tempora in primis in circulo Saxonico inferiori centies occurunt. Eius enim principes non solum anno 1623. pactum de defendenda Saxonia inierunt, verum etiam anno 1625. omnes, praeter ducem Luneburgicum, Brunsvici aduersus Imperatorem coniuncti, Daniae regem, praefectum militiae circularis bellicum (*General-Kreis-Obersten*) elegerunt. Idem quoque de circulo Saxoniae superiori legimus, cuius principes ab Electore Saxoniae eius directore anno 1620. Lipsiam conuocati sunt, ut de exercitu defendendae Saxoniae causa eligendo deliberarent, qua in re principes circuli Sueuici, Franconici, et vtriusque Rhenani, Wormatiae anno 1635. congressi, illorum exempla fecuti sunt, quorum exercitus septem millia peditum et quatuor millia equitum comprehendebat. Quam utilis autem haec constitutio fuerit, exinde colligere possumus, quod in comitiis pacis Osnabrugensibus de redintegratione circulorum (de qua singularis libellus *LYNKERI*<sup>w)</sup> extat,) et renouanda matricula, praesertim ad restituendam in Imperio rem monetariam, et minuenda tributa, sermo fuit: verum ea res ob nimias difficultates ad proxima comitia reiecta est.

## §. VIII.

w) NIC. CHRIST. LYNKER, diss. de redintegratione circulorum. Ienae, 1686. 4.

## §. VIII.

Quod ius magistratum creandorum attinet, denegare quidem non possumus Imperatori potestatem iudices quosdam, tum consilii Imperii aulici, tum Camerae imperialis eligendi, tum vero etiam alia quaedam minora officia pro libitu constitueri, modo Germanicae nobilitati ea tribuat, id, quod in Capitulatione praeferit Ferdinandi III. expressè ab Electoribus ideo cautum legimus, quod illius in Imperio antecessor Ferdinandus II. anno 1630. Electoribus responderat: sibi neque legibus neque obseruantia Imperii huic vel illi personae officium praefecti militum conferendi impositam esse necessitatem. Quanquam enim Hippolithus a Lapide <sup>x)</sup> nullum omnino Imperatori hac in re ius tribuit, meliora tamen recentiores juris publici scriptores nos docuere. Competuit enim illi ius atque facultas iudicem atque praesides eligendi, qui iudicio Camerae Imperialis praesint. Etenim cum iudex camerae Imperatorem repraesentaret <sup>y)</sup>, aequum videbatur, eum non nisi ab illius voluntate pendere, quem huius loci compotem facere vellet, quae hunc aequem ac duos assessores eligendi facultas pace Westphalica <sup>z)</sup> Imperatori his verbis confirmata est: „Placuit praeter iudicem et quatuor praesides, et quidem duos horum ex Augustana confessione a sola Caesarea maiestate constituendos, — numerum Assessorum augere.“ Praeterea vero etiam procul-

D 3 ratores in

<sup>x)</sup> De ratione status Imperii Par-te I. cap. I 3.

<sup>y)</sup> CL. RÜTTER, Institut. iur. publ. Lib. VII. §. 269. pag. 276.  
<sup>z)</sup> I. P. O. Art. V. §. 53.

ratorum fisci atque praefectos aerarii constituere Imperatori licet, probante Mosero<sup>a)</sup>. Quicquid enim contradicat Hippolithus a Lapide, tamen ius Ordinum Imperii circa huius institutionem satis probasse haud videtur. Eidem vero etiam scriptori assentiri haud possumus, quando consilii Imperatoris aulici Assessores ab Ordinibus Imperii constituti contendit. Ipsa enim huius ratio contrarium nobis suadet. Etenim initio quidem eo consilio institutum erat iudicium illud, ut lites in terris Imperatoris hereditariis ortas dirimeret, at cum in sequenti tempore etiam rebus ad Imperium pertinentibus se immisceret, Ordines quidem saepius de eo questi sunt, et Ordinationibus, quae insciis et inuitis ipsis ab Imperatoribus conficiebantur, se subiungere detrectarunt, donec pace tandem Osnabrugensi<sup>b)</sup> eius iurisdictio ab Ordinibus agnosceretur: adeoque negari non poterit, iudicium illorum constitutionem Caesari competitisse, praesertim cum ipsis quoque omni aeuo nutriuisset atque sustentasset.

Cum iure magistratus creandi coniunctum ipsique quasi affine videtur ius, ab Imperatoribus pro libertu exercitum, civibus Imperii mediatis aequa ac immediatis dignitates et altiores honorum gradus conferendi. Cum enim magistratus quemlibet honorem atque dignitatem denotet, huic etiam significatio facile accommodari poterit. Adaequata autem distinctione dividitur

a) MOSER *deutsches Staats Recht*  
Tom. IV. Lib. II. c. 55. §. 28. p. 243.

b) Art. V. §. 55.

dividitur illa potestas in eam, quae partim ciuibus Imperii nobilitatem tribuit, partim iam nobilitate praeditos ad altiorem honoris gradum promovet, et eam quae vniuersae alicui terreae vel regiam, vel dualem, vel quamvis aliam dignitatem confert. Et de omnibus his quidem certissimum est, Imperatoribus antiquiori aetate nunquam denegatum fuisse nobilis tam inferioris, quam superiorum graduum constituendi potestatem, et tanquam Caesareae maiestatis reseruatam extitisse, cui ipsi Electores annuerunt, et Principes quoque ipsi haud negarunt. Primum Ferdinandus III. per Capitulationem<sup>c)</sup> in constituendis eiusmodi dignitatibus paululum limitatus erat. Etenim ex duplice praesertim ratione, quam Moserus<sup>d)</sup> suppeditat, Imperatores in iis conferendis faciliiores fuisse videntur: primum, quod ipsorum factio recens creatis ducibus atque principibus admodum augebatur. Similatque enim principem aliquem Imperator creaverat, omnem operam in eo collocauit, ut quamprimum in principum collegium reciperetur, vnde sane fieri non potuit, quin consiliis eius fauerent, ideoque in exsequendis iis, ad quae consilio statuum opus erat, semper majoribus votis, quae iam in Collegio Electorali per translationem Electoratus Palatini ad Bauaricam domum sibi afferuerat, etiam in principum collegio inniti possit, praesertim cum plurimi illorum mediate ipsi, qua Austriae Archiduci, sobessent. Eo etiam altera, cur tot honores secessoribus concederit, causa

c) Artic. 47.

d) *Deutsches Staats Recht*, Tom. IV. c. 51. §. 58. p. 130.

speciat: etenim omnis aevi experientia nos docet, rerum atque munerum, quorum iusto plures participes sunt, auctoritatem atque dignitatem magis magisque minui atque decrescere solere, quod optime Matthias eiusque successores animaduertere videntur, qui, quo pluribus principalem dignitatem tribuebant, eo magis illorum auctoritatem minuerunt, suae vero potestati incrementum addiderunt: qua in re altera prudentiae Caesareae ratio ex Moseri sententia posita est, cui illam quoque adiiciendam puto, duces bellicos, quorum plures Imperator ea dignitate donavit, eo maiorem industriam atque sedulitatem adhibuisse, quo citius eiusdem participes fierent. At rarius quidem ante seculum XVII. occurrunt exempla dignitatis principalis alicui collatae, cum nobilibus aut comitis, aut Marchionis, aut, si ea voce vti licet, Landgraffii nomen daretur: sed eo maiori impetu, postquam initium fecerat Matthias, a Ferdinando II. et III. atque in primis a Leopoldo principis nomen introductum atque visitatum est. Nam aestuante bello tricennali non modo comites, sed Ferdinandus II. adeo liberum Baronem de Eggenberg et Adelbertum de Lobkowiz, ad illud honoris fastigium euehebat, quare Electores iam anno 1635. de eo conquesti sunt, per nimiam Imperatorum in conferendis comitum atque principum dignitatibus licentiam plura incommoda exoriri, cum praecipue auctae nobilitatis, quae prae reliquis suspicienda esset, auctoritas admodum decresceret ideo, quod omnes, qui talem honorem capesserent, illius priuilegia sibi vindicare conarentur. Metuendum quoque esse, ne quando, cum plurimis eorum vires atque opes talem honorem

Ornan-

ornandi decessent, principes comitibus, comites nobilibus, isti vero plebi exaequentur. Et hac ratione adducti Electores tres potissimum conseruandae pristinae Ordinum dignitatis atque auctoritatis conditiones proposuerunt, et Imperatores admonuerunt, ne quem vlla dignitate ornarent, nisi qui primo officiis atque virtutibus de Imperatore atque Imperio bene meriti sint, deinde qui sumtibus ad eiusmodi honorem gerendum necessariis pares, denique qui, loci fortasse honoratoris amore capti, de principatu cum auita nobilitate, cui iure competit, contendere nolle promiserint. Neque vero his moritis acquieuerunt Electores, sed vt radicitus malum illud euellerent, Capitulationi Imperatoris Ferdinandi III. nouam clausulam addiderunt, qua iis solum, qui prioribus illis legibus satisfac-  
rent, dignitates conferre articulo XLVII. pollicitus est: *Dergleichen wollen wir bei Collation derer Fürstlichen und Gräflichen Dignitäten vornehmlich dahin sehen, damit auf allen Fall dieselbe allein denen von uns ertheilet werden, die es vor andern wohl meritiret, im Reich gesessen, und die Mittel haben, den affectirten Stand pro dignitate auszuführen.* Et ita quidem promisso satisfecit Ferdinandus III. vt per belli tricennialis spatium nemini principis dignitatem conferret, verum post pacem demum initam illo titulo quosdam ornaret. At nihilominus anno 1645. in con-  
gressu Osnabrugensi, Ordines Euangelicae religioni addicti inter alia grauamina monuerunt, Imperatorem potestate dignitates conferendi abusum, illos honores iis concedere, qui re- quisitis necessariis carerent, vnde plura incommoda reipubli-  
cae Germaniae nascerentur, nobilium splendore atque aucto-

ritate extincta. Cum illo autem Caesaris iure dignitates conferendi non confundendum est eiusdem priuilegia concedendi reseruatum <sup>e)</sup>). Quamuis enim vtrumque arctissimo vinculo inuicem cohaerere videatur, nec pauci sint, qui dignitates atque honores priuilegiorum nomine comprehendant, et consilium adeo Imperatoris aulicum vtroque vocabulo promiscue usum sit, dum anno 1638. dynastiam comitis de Rechberg immediatam declararet, idque priuilegium vocasset, tamen quicunque accuratius rem perspicit, intercedere aliquod inter dignitatum atque priuilegiorum concessionem discrimen facile confitebitur, praesertim cum iam in Capitulatione Ferdinandi III. <sup>f)</sup>). vtrumque ab Electoribus distinctum videamus. Illam vero potestate antiquis iamian temporibus a Caesare peractam esse constat, quam deinde ad nostra vsque tempora, ideoque belli, quod saepius nominauimus, aetate, saepissime ita Imperatores exsecuti sunt, vt quaevis priuilegia, nisi quae Imperii saluti obnoxia sint, quorum Spenerus illustrandae rei causa illud beneficium iure refert, quo Caesar aliquem Imperii Ordinem cunctis oneribus atque tributis ad sustentandos Imperii sumtus soluendis in reipublicae detrimentum liberare ausus sit, aut superioritati territoriali aut denique singuli alicuius ciuiis iuribus palam aduersarentur, concedere liceret, quamuis etiam hac in re nonnihil excipiendum esse mihi persuaserim. Et ita quidem

res

e) De iure Imperatorum priuilegia atque dignitates ciuib[us] Imperii conferendi videsis Ill. BIENERI *Befinnung der kaiserlichen Macht-* vollkommenheit in der seutschen Reichsregierung. Leipzig. 1780. 8. Tom. II. Sect. IV. et V. p. 81-127.

f) Art. 25. et 47.

res se habuit ab antiquiori aevo vsque ad Matthiam Imperatorem, ante cuius aetatem nulli eius rei limites Imperatoribus praescripti sunt, donec illius capitulatione<sup>g)</sup> primum cauereatur, ne priuilegia maiora aut insciis vel inutis Electoribus, aut quae illorum immunitatibus aduersarentur, cuiquam conferre auderet, quae constitutio in Ferdinandi II.<sup>h)</sup> atque III.<sup>i)</sup> capitulationibus immutata mansit, nouo additamento in Ferdinandi IV. capitulatione facto, quae exemptiones a vecigalibus in Electoralium iurium detrimentum prohibuit, et recessu denique Imperii de anno 1654. species aliqua beneficiorum, priuilegia nimirum electionis fori, et de non appellando, quippe quae iurisdictionem Imperii limitibus circumscrubunt, non quidem vetita sunt, attamen Imperator in iis concedendis se fibimet temperaturum promisit. Iure autem illo Imperatores saepius vsos fuisse, plura exstant documenta, quorum duo solum hic laudare sufficiat. Alterum est, quod Ferdinandus III. Imperator anno 1641. ducibus Wurtembergensibus soluto duorum milium florenorum pretio priuilegium de non appellando concessit, alterum autem veniam aetatis spectat. Illius enim antecessor Ferdinandus II. Ludouicum Hassiae Landgravium ex gente Darmstadiensi, omnemque eius gentem hoc priuilegio ornauit, ut omnes eius posteri anno decimo quarto aetatem maiorem nanciscantur. Eadem concedendi priuilegia potestati merito quoque annumeramus currus publicos.

E 2

g) Art. 34.

i) Art. 37.

h) Art. 33.

publicos in Imperio Germanico constituendi curam, quam Imperator Carolus V. medio circiter saeculo XVI. nobili de Taxis demandauit. Matthias deinde Imperator illud priuilegium eidem genti anno 1615. tanquam feudum masculinum concessit, quod tandem seruente bello tricennali anno 1621. Ferdinandus II. in prolem foemineam quoque extendit. At vero cum saeculo XVII. prospero successu illud cursus publici constituendi priuilegium careret, gens illa turbis, quibus Germania implicita erat, et potentia, quam Caesares sibi arrogauerant, quo magis Ordines ad admittendas in ipsorum territoriis Imperii postas (veniam barbarae voci breuitatis studium concedat) compellerent, diuerso tamen successu via est. In iis enim regionibus, quae Ferdinandis armis succubuerant, feliori exitu gaudebat, quam in iis, quae maiorem auctoritatem naclae erant. Inter has enim praecipue nominari merentur Dux Wurtembergi, Elector Palatinus atque Brandenburgicus, qui postremo loco dictus ipse publicorum curruum curam suscepit, cum Comes de Taxis pro eius administratione nimium poposcerit. Idem deinde exemplum Elector Saxoniae et post pacem iam initam Hassiae dux et plures alii principes secuti sunt, et ipse adeo Imperator anno 1624. publicam eiusdem negotii in terris auitis curam comiti de Paar demandauit, ex quo apparet, competuisse quidem prima seculi XVII. parte Imperatori ius atque libertatem postarum priuilegiorum pro lubitu in quemlibet transferendi; id ipsum tamen quam plurimos Germaniae proceres tanquam plenitudini potestatis territorialis annexum suis in terris exercuisse, et comites de Taxis iure suo solum

solum erga Ordines minori potestate conspicuos uti potuisse.

## §. IX.

Potestatem vestigalia alicui rei imponendi et tributa a civibus Imperii germanici exigendi inter regalia et principum iura referri, profecto nulli dubitationi obnoxium mihi videtur; quae cum, ut iam §. VII. diximus, penes Imperatorem et Ordines coniunctim sint, illa quoque potestas tributa atque onera exigendi utriusque simul competit necesse est. Est autem discrimen aliquod inter vestigalia ordinaria, quae quotannis ad sustentandam cameram Imperialem conferuntur, et extraordinaria, quae urgente necessitate imperantur. De his hoc loco potissimum agendum erit. Antiquissimis quidem temporibus illud Imperatorum iuribus reseruatis adscriptum videmus, at cum temporis successu eorundem indulgentia, tributa noua imponendi atque ea, quae iam imposita erant, exigendi potestas cum superioritate territoriali ad Ordines transiisset, et alia indicere Imperatores vellent, illud Caesaris reseruatum ab Ordinibus in dubium vocari coepit est, quia Imperium nouis his vestigaliis vehementer vexari animaduertebant<sup>k)</sup>. Et ea ratio fuit, cur in

E 3

Capitu-

<sup>k)</sup> SPENERVS in iure publ. indistum fuerit, et inde colligit, Fri-  
Tom. VI. Lib. IV. cap. 2. §. 2. pag. dericum iam illa aetate potesta-  
246. not. a. exempli meminit, quo tem vestigalia pro lubitu imponendi  
iam Fridericus I. saec. XII. tribaram atque augendi sibi admitem tam esse,  
ab Henrico III. impositum ea ratione optime perspexisse.  
futurum, quod sine consensu principum

Capitulationibus a Caroli V. vsque ad recentiora tempora Imperatoribus facultas non solum noua tributa ad sustentanda Imperii onera indicendi, verum etiam priuilegia de iisdem indicendis concedendi ita limitata fuerit, vt hac in re consensus Ordinum Imperii, vel vrgente necessitate saltim Electorum requiratur, quod in Capitulatione Ferdinandi III.<sup>1)</sup> his verbis expressum legimus: *So oft auch die Nothdurft erfordert, einiger Steuer halben etwas an die Stände des Reichs gelangen zu lassen, wollen wir uns darzu der ordentlichen Mittel, als Crais - und Reichstäige gebrauchen, oder da es je die äußerste Nothdurft erfordern thäte, mit Rath und Gutachten mehr erwähnter sechs Churfürsten verfahren etc.* Causam huius limitationis ex eiusdem articuli parte secunda hanc fuisse patet, quod belli tricennalis tempestate in constitutuendis atque exigendis his vestigalibus obseruantia atque leges Imperii toties violatae fuerint, quotiescumque Imperatoribus placuerit. Etenim sex grauamina potissimum a Limnaeo <sup>m)</sup> afferuntur, quae partim Ordines Evangelici in conuentu Lipsiae anno 1631. habito, partim Electores in comitiis Electoralibus, 1623. et 1630. Ratisbonae congregati monuerunt, quibus diligenter consideratis ius tributa imponendi atque colligendi, quale tunc extiterit, optime definire possumus. Et primo quidem loco de Imperatore Ferdinando II. sunt conquesti, quod statum aequum ac Electorum consensu posthabito tributa pro Iubitu indixerit, eaque tanquam ex plenitudine potestatis solvere

1) Art. 14.

m) In annotamentis ad Capitulat. Ferd. III. p. 699. sq.

luere praeceperit, cum tamen ius colligendi in Imperio non imperare Ordinibus, sed petere ab iis teneatur, et capitulatione, Imperii constitutionibus, et obseruantia aliae profecto tributa imponendi rationes praescriptae sint, quippe quorum constitutio in Comitis vel vniuersalibus vel circulorum cum statibus communicanda eorumque consensu definienda sit. At aegre vero etiam tulerunt status Imperii, tot tantaque sibi a Ferdinandō II. imposta esse tributa, ita ut ciues omnibus bonis atque opibus spoliati et ad incitas inde redacti sint. Etenim vestigalia belli illius tempore non ita distributa erant, ut opum atque reddituum, quibus ea aetate subditi gaudebant, ratio haberetur, sed potius ea secundum censem facit XVI. actum, quam Matriculam Imperii vulgo vocant, et in duplo et triplo quidem soluenda et tantopere aucta erant, ut status Euangelici in eo, quem supra laudauimus conuentu Lipsiensi, se solos intra paucos annos tantam pecuniae summam, quanta ab vniuerso imperio per plura secula haud extorta fuerit, conferre coactos esse, palam Imperatori declararent, id quod iisdem fere verbis Archiepiscopi Salisburgensis legatus anno 1640. Ratisbonae affirmauit "): quid, quod ipse adeo comes de Trautmansdorf legatus Imperatoris Osnabrugam missus, Sueciae legato, qui praeter alia etiam Silesiam, qua reginae satisficeret propter sumtus bellicos, poposcerat, responderet, se nullo modo concedere posse, quod tam amplius atque foecundum regnum Sueciae traderetur, ex quo ab anno inde 1627. septingentis ac quinquagies centena Imperialium millia in Imperatorem redundassent. Illuc quoque

verba

n) LIMNAEVS. l. c.

F

verba instrumento pacis apposita spectare videntur <sup>o)</sup>): *In proximis vero comitiis, de redintegratis circulis, renouanda matricula, reducendis statibus exemptis, moderatione et remissione Imperii collectarum — ex communi statuum consensu agatur et statuatur.* Etenim ob nimias illas vecigalia extortiones in comitiis quoque pacem Westphalicam subsecutis, plures Imperii ciuitates moderationem matriculae petierunt, inter quas praeципue Ordinis Iohannitici magister, liberae ciuitates Bopfingen, Kaisersberg, Dunkelspühl et plures aliae, Marchio denique Onoldinus nominantur <sup>p)</sup>), ex quorum grauaminibus triplum matriculae hucusque solutum esse videmus, quod, ob pauperiam atque ad incitas redactam eorum conditionem, ad duplum saltem moderare petierunt, quod tamen a solo Imperatore fieri haud potuit, verum Ordinum germanicorum auctoritate negotium illud peractum esse constat. At non solum ideo de Imperatore conquesti sunt, quod iusto plura tributa statibus imposuerit, verum etiam quod militibus nimiam in iis exigendis potestatem concesserit, eaque ipsa, cum in utilitatem Imperii adhibenda fuerint, ad luxum bellici ducis vel ad augendum eius patrimonium impendi passus fuerit, rationesque de iis Ordinibus reddere omiserit. De eo enim Electores in comitiis Ratisbonensibus in altera responsione Imperatori data, querelas mouerunt has <sup>q)</sup>: *Große Summen, viel Tonnen Goldes, werden in fremde Länder geschafft, ganz ohne daß einige Rechnung hierüber geleistet werde.* Cum enim vecigalia a statibus Imperii confer-

<sup>o)</sup> Art. VIII. §. 3.

<sup>p)</sup> PFEFFINGER in Vitrario illustrato Tom. I. Lib. I. Tit. XII. not. a. p. 1010.

<sup>q)</sup> Invenitur ap. LIMNAEVM in

Mantissa ad Capitul. Ferdinandi II. pag. 635.

rantur, legibus atque rei ipsi consentaneum est, ut in eiusdem  
commodum, et ad promouendam eius salutem atque utilita-  
tem adhibeantur, Imperator autem rationes de eorum vsu vel  
abusu reddat, quod vtrumque belli tricennalis aetate negle-  
ctum vidimus.

Neque vero exemptione ab oneribus vel tributis a solo Impe-  
ratore pendet, quod iam ante belli illius initium expressis  
verbis Caesares in Capitulationibus, se neminem a tributis, prae-  
cipue quae circa flumen Rhenum et Danubium consueta sunt,  
exempturos esse promiserunt. Et id quoque inter grauamina po-  
litica ab Euangelicis in comitiis, pangenda pacis causa habitis,  
relatum est, quod multi principes iurisdictioni atque oneribus  
se subducerent, multi vero etiam tributis liberentur, quibus  
deinde alii magis premerentur<sup>1)</sup>). Scimus itaque, vestigalia at-  
que tributa non nisi consultis antea Imperii statibus imponenda  
aque exigenda fuisse: num vero illud vnamini eorum consensu,  
aut per vota maiora esset definiendum, tam durante bello, quam  
in pace adhuc concludenda dubitatum fuit<sup>2)</sup>). Quod negoti-  
tium cum ibi expediri non potuisset, ideo ad proxima quidem  
comitia dilatum, attamen ne in his quidem certi quid ea de re  
definitum est. Videtur quidem iam ex verbis articuli XX.  
Capitulationis Ferdinandi III. mit Collegial - Rath und Wissen-  
der sechs Churfürsten, colligi posse, vnamimia vota ad vestigia-  
lium constitutionem necessaria fuisse, attamen pluralitatem vo-  
torum hic non attendendam esse, luculentius adhuc ex Capitu-  
latione Leopoldi I. apparere, cuius verba integra apponere li-

F 2

ceat,

<sup>1)</sup> PFANNER histor. pac. Lib. III.      <sup>2)</sup> Art. V. §. 52,  
§. 35.

ceat, ita ut hanc sententiam illi praeferamus: *Wir sollen und wollen auch hinfährer keinen Zoll von neuem geben, noch einige alte erhöhen lassen, es seyn denn aller und jeder sieben Churfürsten Wissen, Willen, Zustäffung und Collegial-Rath, mit einhelligem Schluß also und dergestalt vorgegangen, daß keines Churfürsten Widerred oder Diffens dagegen, sondern aller und jeder derer Collegial Stimmen einmütig seyn, maßen wir dießfalls die maiora nicht attendiren, auch ohne vorhergehende unanimia, den Supplicirenden mit seinem Begehrn gänzlich hinweg und abweisen.*

## §. XI.

Iam quamquam superercent nonnulla huius argumenti capita, vt pote de scanno transuerso in iudicio principum, de contiouersis super praecedentia Electorum hac tempestate agitatis, de superioritate territoriali, quam aeuo illo ortam esse quidam somniarunt, de labibus, quibus obnoxia fuerunt summa Imperii iudicia, de re monetaria tunc temporis maxime corrupta per genus nummorum, quos vulgo vocare solent die Kipper und Wipper, aliisque; veremur tamen, ne harum rerum expositio limites libelli academici sit egressura: quare iam finem huic scriptiunculae imponere haud dubitamus, cuius eo faciliorem veniam ab arbitris sapientissimis impetraturos nos esse speramus, quo liberalior esse solet eorum in iuuenes, qui primum animum ad scribendum appulerunt, benignitas atque indulgentia.





Leipzig, Diss; 1786 K-2



f

Sb.





1786.31.919  
315

B E L L V M  
T R I C E N N A L E  
MVTATIONIBVS IVRIS PVBLICI  
FOECVNDVM  
DISSERTATIO PRIOR

---

Q V A M

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

D. XXVII. SEPT. MDCCCLXXXVI

H. L. Q. C.

PVBICE DEFENDET

M. GODOFR. LVDOVICVS WINCKLER

I. V. B.

ASSVMTO SOCIO

FRIIDER. AVGVSTO FERDINANDO  
LINDEMANN

DRESDENSI

---

L I P S I A E

EX OFFICINA SAALBACHIA